



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio I. De Existentia & subjecto Relationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

licet non comprehendatur in decem his prædicamentis, sustineri tamen hæc divisio potest, quia scilicet hæc dividitur Ens; Carentia autem Matrimonii est non ens, hinc mirum non est, quod ad nullum prædicamentum, Cœlibatus revocetur.

QUÆRITUR 3. *Quanam ponantur in recta linea prædicamentali?*

RESPONDETUR. Hæ Conditiones ad ponendum aliquid in linea prædicamentali numerari solent. I. Ut sint Ens reale. II. Ut sit per modum per se stantis. III. Ut sit Ens per se, & saltem in confuso sui conceptu, non involvat pluralitatem; & sic Exercitus, quia in confuso sui conceptu involvit pluralitatem, ad nullum certum revocatur prædicamentum; Vestitum autem revocatur ad prædicamentum habitus; quia saltem in rudi suo conceptu pluralitatem non involvit. IV. Ut rudi suo conceptu non sit Ens complexum. V. Ut sit ens finitum, id est ens creatum; Certè enim infinitum si crearetur, ad prædicamentum Quantitatis pertineret.

Hic de Prædicamentis in particulari nihil agendum erit; Substantia enim ad Metaphysicam, Quantitas, Qualitas, &c. ad Physicam spectabant; sola Relatio, ex communi consuetudine, hic explicanda erit. De qua infra.

QUÆSTIO III.

De Post-prædicamentis.

QUÆRITUR I. *Quid sint?*

RESPONDETUR. Postprædicamentorum nomine, veniunt voces quædam, quas ex-

plicat Aristot. post Tractatum de Prædicamentis.

QUÆRITUR 2. *Quod sint & quæ Postprædicamenta?*

RESPONDEO. Primum Postprædicamentum est; Oppositio, cujus oppositionis nomine, non venit oppositio complexa, de qua in secunda Operatione in Dialecticis, sed hic oppositionis nomine, venit Repugnantia ad se pertinentium; hoc est, quæ se excludunt, ut Nigredo, & Albedo; vel quæ se inferunt, ut est Pater & Filius. Secundum Postprædicamentum est; Prius. Quinque autem Modis aliquid est prius, ut Versiculi hi expriment:

Tempore, natura, prius Ordine, dic & honore
Et causa effectus dicitur esse prior.

Nihil hic explicandum esset nisi Prioritas naturæ, sed de hac alibi. Tertium Post-prædicamentum est, Simul, atque alia sunt simul tempore, ut duo Coartanci; alia simul natura, scilicet ea, quæ ad convertentiam dicuntur, & unum non est causalitas aliud. Quartum Postprædicamentum est, Motus, de quo in Physica. Quintum Post-prædicamentum est, Habere, sive illud habere sit Morale, ut habere Opes, Virtutes, &c. sive Physicum, hoc est, accipiendo, habitum pro vestitu; accipitur ergo habere hic pro quocunque modo se habendi, adeoque non jam ita, ut accipitur pro Prædicamento, de quo consule Matrium in Summulis.



DISPUTATIO VI.

De Prædicamentis in Particulari, & in Specie,
de Relatione.

Post tractationem brevem de Prædicamentis in communi, deberet sequi tractatio de Prædicamentis in particulari, quæ si exacta dari deberet, absumeret quidquid in particulari aliæ scientiæ tractant, nunc de more Logici anni, attingetur Prædicamentum Relationis.

QUÆSTIO I.

De Existentiæ & Subjecto Relationis.

PONO imprimis explicationem, Terminorum in hac materia usurpabilium.

FUNDAMENTUM, prout condistinguitur Subjecto, est causa seu ratio, propter quam, una res ad aliam refertur; & ita, vis productiva effectus, est fundamentum, ut referatur causa ad effectum.

SUBJECTUM est istud extremum, quod continet istam causam, soletque appellari fundamentum remotum.

RATIO FUNDANDI est istud, quod complet subjectum, ut ad aliud referri possit, qualis est causalitas. Hæc tamen ratio fundandi, in relatione

relatione præcipue transcendentali, indistinctur à fundamento v. g. in Deo vis creandi est & fundamentum & ratio fundandi relationem transcendentalem in Deo ad creaturas.

RELATIO est ipsa illa Formalitas, quæ facit unum referri ad aliud. Ita ut subjectum referatur ut Quod, Relatio ut Quo.

CORRELATIVUM, est quodlibet relativum mutuum.

TERMINUS est id, quod terminat relationem, quinon est idem cum correlativo; fieri enim potest, ut Terminus mutuo non referatur.

Quod attinet ad Existentiam & Subjectum Relationis. Non est dubium dari relationes rationis seu respectus, quos noster intellectus fabricat, quasi una res referatur ad aliam. Descendendo ad difficiliora.

DICENDUM I. *Dari Relationes Reales in Creatis.*

PROBATUR I. Si Relationes Reales non darentur in Creatis, non darentur ex speciali repugnantia, hæc nulla ostendi potest, quæ enim illa? & certè si repugnarent Relationes reales in Creatis, vel repugnarent ex ratione Relationis, & hoc non; quia nec in divinis darentur, nec repugnant ex vi Realis relationis creatæ; quia reliqua prædicata in Creaturis possunt componi cum prædicato Realis, ut pater in Substantiis, accidentibus realibus. Ergo componi poterit cum realitate in Creatis, & Relatio realis.

PROBATUR 2. Dantur in divinis Relationes reales, Paternitatis, Filiationis, Spirationis, ut fides docet; Ergo dabuntur Creatis; nam ex una parte referri ad aliud non arguit infinitatem perfectionis; ex altera, idè dantur in divinis relationes reales, quia illic est verè Pater, qui verè generat Filium, hoc autem reperitur etiam in Creatis.

RESPONDEBIS. Relationes in divinis sunt Substantiæ, in Creatis autem deberent esse Accidentia.

CONTRA. Tum quia non omnes in Creatis Relationes sunt accidentia, unde non sunt Accidentia Relationes transcendentales; ergo saltem illæ dabuntur. Tum quia hæ rationes quæ sunt in Deo substantiæ, possunt esse Accidentia in Creatis, ut ratio sapientiæ, ratio sanctitatis. Ergo etiam poterunt in Creatis esse accidentia, quæ in divinis sunt substantiæ. Tum quia non repugnat Relationem esse, & tamen accidens esse.

PROBATUR 3. Vel nemine cogitante, bicubitus est æquale alteri bicubito, vel nemine cogitante non est æquale; si nemine cogitante non est æquale, ergo apparet alterum non esse bicubitus, adeoque non stas in suppositione argumenti: imò sequitur, bicubitus nunquam

posse esse æquale alteri bicubito; non est enim æquale nemine cogitante, ut asseris; nec potest esse æquale aliquo cogitante; quia cogitatio non addit molem. Si autem bicubitus nemine cogitante est æquale alteri bicubito, ergo habet rationem æqualitatis, à qua denominatur æquale. Ergo ulterius datur aliqua Relatio æqualis; æqualitatis enim nomine venit ipsa Relatio realis.

OBJICITUR I. Entia sine necessitate non dantur; Relationes reales sunt entia sine necessitate; nam & nullam dicunt perfectionem, & si Relatio Domini ad Servum potest esse, & non esse realis, ergo idem dicendum de reliquis.

RESPONDETUR. Cum Fonf. quod relatio nullam dicat perfectionem, quæ sit principium aliquid agendi vel patiendi; dicit tamen relatio perfectionem purè formalem, quia denominat subjectum, & est ratio referendi, ut Quo, perficitque subjectum, non in se, sed in ordine ut sit ad aliud, & sicut character manens post mortem, non est quid otiosum, quamvis nec agendi, nec patiendi sit principium, ita & in præsentia. Quod attinet, ad relationem Domini ad servum. Dominium hic duplex cogitari poterit, naturale quoddam, & est *supra eos, quorum* ut inquit Aristotel. 1. Polit. cap. 2. *est opus in corporis usum*, tale dominium est in brutis & sapientum in rudes: aliud est dominium morale seu ex pacto, quo se unus subdit alteri; prius illud dominium est reale, fundatque Relationem realem; quia & ratio fundandi est Realis; fundatur enim in conditione naturali extremorum. Secundum dominium non est reale; non fundatur enim in conditione naturali extremorum, præterque ipsos Voluntatis actus, nihil ibi reale ostendi poterit; non est etiam Realis Relatio inter Magistrum & Discipulum, si hic nihil eum docuerit, hic nihil didicerit; sed non sequitur relationem non fore realem si hic revera docuerit, iste didicerit.

OBJICITUR 2. Relatio nullam dicit perfectionem, ergo non potest esse realis. Antec. probatur. Si diceret Relatio aliquam perfectionem, tunc Pater æternus habens relationem Paternitatis ad Filium haberet aliquam perfectionem, quam non haberet Filius.

RESPONDETUR. Hanc perfectionem quam habet Pater, æquivalenter haberi à Filio; partim quia habet perfectionem essentiæ divinæ, omnes illas perfectiones relativas eminenter complectentem; partim quia habet Relationem Filiationis, quæ æquivalet relationi Paternitatis.

OBJICITUR 3. Comparatio unius ad aliud est actus intellectus, & non reale aliquid; sed omnis Relatio est comparatio, ergo omnis Relatio est actus intellectus;

RESPON-

RESPONDETUR. Comparationem formalem esse actum intellectus, sed non comparationem objectivam.

DICENDUM 2. *Dari in Deo relationes reales ad Creaturas.* Ita Hurt. d. 15. Met. f. 2. n. 19. quoad relativum prædicamentum. Contra non paucos.

PROBATUR 1. Ante omnem operationem Intellectus, vel Deus est Creatura, vel non creatura, vel neque Creatura, neque non Creatura, non primum; quia aliàs Deus ante omnem operationem esset non Deus, siquidem esset Creatura; non tertium, quia ante omnem operationem Deus abstraheret à ratione Dei, & non Dei; cum æquè sit in Deo ratio Deitatis, atque ratio Increati, à qua tamen per te Deus præscinderet; non secundum; quia si Deus ante omnem operationem Intellectus non est Creatura, ergo est quid diversum, seu dissimile Creaturæ; ergo ulterius dicit Relationem dissimilitudinis ad Creaturam; ergo denique dicit aliquam realem relationem, realiter enim est dissimilis Creaturæ.

PROBATUR 2. Dantur Relationes reales in Creaturis, ergo dabuntur Relationes Dei ad Creaturas, ob paritatem Rationis.

PROBATUR 3. Quia si saltem per impossibile Deus haberet, quicquid requiritur ad relationem realem ad Creaturas, referretur ad Creaturas; sed de facto id habet. Nam si saltem per impossibile referretur ad Creaturas, deberet esse extremum quod referretur, seu subiectum, & hoc habetur nempe esse Dei; deberet haberi ratio fundandi, & hæc de facto habetur, scilicet conservatio, creatio, deberet habere terminum, & hic est esse vel possibilitas Creaturarum.

DICENDUM 3. *Dari etiam Relationes Creaturarum ad Deum.*

PROBATUR iisdem Rationibus proportionaliter aptatis.

RESPONDEBIS 1. Sufficit ad hoc Relationis, aut quod fundamentaliter dicat relationem.

CONTRA. Quia non per meam rationem Deus non est creatura, ergo nec per meam rationem dicet relationem dissimilitudinis à creatura. Item non fundamentaliter est non creatura, sed formaliter; ergo formaliter dicet relationem dissimilitudinis.

RESPONDEBIS 2. Potest Deus aliquid vel, sine ulla sui mutatione, ergo & esse dissimilis sine relatione.

CONTRA. Quia prius illud in Deo argueret imperfectionem, Deus enim mutari non potest; esse autem dissimilem creaturæ non arguit imperfectionem; consequenter nec referri relatione dissimilitudinis, arguet imperfectionem, cum relatio dissimilitudinis, nihil sit in re, præter dissimile.

RESPONDET 3. Maltrius. Deum non esse Creatorem realiter, & non esse distinctam relationem Creatoris à Creatura intrinsecè, & subiectivè, sed solum extrinsecè, & terminativè, quatenus realiter terminatio passiva terminatur in Creatura existenti: docetque ulterius posse fieri, ut relatio Creaturæ, denominet Deum Creatorem, & tamen non sit in Deo subiectivè hæc relatio; ad eum modum quo visio subiectivè est in oculo, terminativè, est in visibili, & tamen visum, denominatur à visione, ad quam non nisi terminativè se habet. Poterit ergo consequenter creatio passiva, Deum, Creatorem; & Creaturam, denominare Creaturam.

CONTRA. Tum quia redivertitur argumentum factum; nam negatio Creaturæ Deo competens, nullo modo intrinsecè, & subiectivè est in Creatura. Tum quia in re, relatio est ipsemet Deus Creator, connotans Creaturam; esse autem Deum Creatorem, non recipitur intrinsecè, & subiectivè in Creatura. Tum quia Creationi passivæ, vel respondet vis creativa, vel non respondet, idque ante omnem operationem intellectus; si non respondet, ergo datur passio sine actione; si respondet, ergo jam erit relatio Creatoris intrinsecè ad Creaturam; nihil enim volumus plus esse in re hanc relationem, præter vim in Deo creandi subiectivè, & intrinsecè existentem, & passivam Creationem Creaturæ. Tum quia durum est dicere Deum non esse Creatorem realiter, æquè ac dicere, non esse sapientem realiter. Instantia de visione, non tenet; nam cum esse visi, non supponat vim videnti in viso, potest non esse subiectivè & intrinsecè in viso; jam autem relatio Creatoris; supponit vim creandi, intrinsecè, & subiectivè in Deo. Rursus non nego, quod visio denominare possit & videntem, & visibile; sed nego, quod visibilitati passivæ, non respondeat visio activa, idque extra visibile; consequenter nego, Creationi passivæ, non respondere in Deo vim creativam, à qua denominetur Creator, licet Creatoris ratio, terminetur ad Creaturam; consequenter erit intrinsecè, & subiectivè relatio Creatoris in Deo, utpote sequens vim creandi, cui datur illa relatio. Tum quia creatio activa, non potest denominare Creaturam, nisi terminativè, quia terminatur ad Creaturam, sed tantum creatio activa, denominat Creatorem: Ergo nec passiva creatio, denominabit Creatorem, licet respiciat Creatorem; ita, sicut Filiatio non denominat Patrem, licet terminetur ad Patrem; & si relatio Paternitatis non est necesse ut ponatur intrinsecè, & subiectivè in Filio, imò nec poni potest, ita nec relatio Creatoris, poterit intrinsecè poni.

OBJICITUR 1. ex Scoto. Deus est perfectè simplex, nihilque est in eo, quod non est ipsum: Ergo relationes Deus novas ad Creaturam dicere non potest.

RESPON-

RESPONDETUR. DEUM non posse dicere relationes novas, quæ sint novæ secundum id, quod dicunt in recto, licet sint novæ secundum id quod dicunt in obliquo; de quo actum in Connotatis.

OBJICITUR II. Si daretur in DEO relatio realis ad Creaturas, coexigeret illas, coexistere non potest, quia dependeret ab illis.

RESPONDETUR. Quod non sit imperfectio dependere ab alio, tanquam à termino, seu tanquam eo, quod indiget DEO, cujus ille indigentiam explere possit; licet sit imperfectio, dependere ab alio, dependentiâ causalitatis, perfectivi, &c.

INSTABIS. Ex iis quæ opponit Maurus hic q. 63. Esse absolutum, est esse non connexum cum alio esse, & tale ut possit esse, sine quolibet alio esse; è converso, esse relativum, est esse connexum, cum alio esse, & quod dari non potest sine alio esse; sed divina essentia & perfectio debet habere esse non connexum cum alio ullo esse, adeoq; excludere omnem relationem. Deinde licet divina essentia sit potentia omnis producibilis, scientia omnis scibilis, tamen producibile, & scibile creatum, non habet necessariò, & ab æterno ullam productibilitatem, & intelligibilitatem, nisi per denominationem purè extrinsecam, à divina potentia, & scientia.

RESPONDETUR. Neg. Minorem, An autem ipsa producibilitas, & intelligibilitas passiva, habeatur in objectis creatis? actum ubi de Possibilitate. Rursus cum detur possibilitas passiva potentialis in Creaturis, cur saltim ad illam non erit relatio transcendentalis divina? præcipuè cum relatio transcendentalis non exigit existentiam actualem sui termini, sed terminationem solam actualem, quæ exercei possit sine existentia. Ex dictis etiam aptari, posset responsio & distinctio, quod divina essentia habeat esse connexum cum Creaturis, tanquam cum termino perfectibili indigente se, non habet autem connexum cum Creatura, tanquam à qua dependeat, dependentiâ causalitatis perfectivi &c. in priori autem nexu non tantum nulla est imperfectio, sed potius statuitur perfectio DEI.

OBJICITUR III. Etiam si omnis Creatura repugnaret, adhuc DEUS esset possibilis; necessarium enim non coexistere esse contingentis, ergò DEUS non dicit relationem ad Creaturam.

RESPONDETUR. Quod necessarium posset coexistere esse contingentis, tanquam termini, & ejus quod indiget necessario.

INSTABIS. Ergò non magis esset necessaria existentia DEI, quam saltim possibilitas Creaturarum; implicat enim aliquid exigere ad sui existentiam aliud, & tamen illo, esse magis in existendo necessarium.

RESPONDETUR. Implicare ut aliquid exigit ad sui existentiam, coexistentiam aliis, exigentiâ causæ, & tamen illo esse magis in existendo necessarium, licet id fieri possit, si sit exigentiâ solius termini, & tanquam se indigentis, dicentisque ordinem effectus ad causam.

OBJICITUR IV. Mastrius, negans tales Relationes, quia relationes istæ, vel darentur, in DEO novæ, vel ab æterno: non novæ, quia enim DEUS perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non sit ipsum. Ergò Relatio nova in DEO ad Creaturas, nequit admitti in tempore, cum veram compositionem faceret cum eo; non etiam darentur ab æterno, quia perfectæ necessitas esse divini, est ex se esse tale, quod non variabitur ejus esse, quacunque hypothese posita, sive possibili, sive impossibili circa aliud à se, quia alia non sunt necessaria, nisi secundario, ergò nulla potest in eo admitti realitas, neque in tempore, neque ab æterno.

RESPONDETUR. Si sumatur argumentum ut sonat, Concedo totum; neque enim per nos relatio sive in tempore, sive ab æterno est aliqua realitas, superaddita ei quod refertur. Ad Objectionem attendendo, potest in DEO dari nova relatio, novitate alicujus extrinseci intrinsecè requisiti, sed non novitate ejus, quod dicit illa relatio pro subiecto, hoc enim est DEUS sibi non novus. Dantur etiam in DEO relationes ab æterno; necessitas autem esse divini facit quidem, ut quacunque posita suppositione impossibili, non mutetur physicè DEUS, quia ejus existentia non pendet à nostris intentionibus; sed non facit ne intelligatur DEUS mutari supposita aliqua suppositione impossibili.

Quod attinet ad ly, Creaturæ sunt necessariae secundario; indubiè est verum, quia illarum quoad possibilitatem necessitas, non est necessitas conjuncta necessitati absolute existendi; deinde quia illarum necessitas, dicit intrinsecè in se imbibitam indigentiam DEI, sed non est hoc sensu secundaria necessitas, quasi sit reipsa variabilis.

INSTAT Idem. Si DEUS esset necessario coexistens aliud à se, non esset DEUS, illo coexistito non existente; sed Relatio realis de necessitate coexistit ad suum esse terminum ejus, ergò in DEO, salva ejus indemnitate, constitui nequit relatio realis ad aliud à se.

RESPONDETUR. Si DEUS coexigeret necessario aliquid coexistens, illo non coexistente, non esset DEUS; sed negamus necessario coexistere Deum aliquid existens; nam quod attinet ad relationes æternas Dei ad Creaturam, illæ non exigunt existentiam termini utpote Transcendentales; Relationes

† Mm

autem

autem temporaneæ seu Prædicamentales; non sunt necessariæ, nisi ex suppositione existentia.

OBJICITUR. V. Creatura etiam quoad esse possibile considerata, adhuc non est in eo gradu necessitatis, in quo est DEUS; semper enim ejus necessitas, erit participata. Ergo ad Creaturam etiam in tali statu necessitatis consideratam, admitti non debet Relatio Realis, quia DEUS esset, etiam si omnis Creatura repugnaret.

RESPONDETUR. Cum necessitas prædicatorum DEI involvat necessitatem existendi, necessitatem item, ut eam, etiam possibilem Creatura ad existendum indigeat, confurgit exinde major necessitas divina; sed inde non sequitur DEUM non posse referri ad aliquid, secundario necessarium. Negatur item repugnante Creatura, fore DEUM, de quo alibi.

INSTABIS. Necessarium non coexistit ad suum esse, contingens. Ergo neque magis necessarium, quod est DEUS; pendet in suo esse, à minus necessario, aliàs si concedatur magis necessarium posse deficere, minus necessario deficiente, & è contra, jam illa duo essent æqualis necessitatis.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum; quia à necessario licet non exigatur contingens, tanquam pars compositiva, tanquam identificabile, tanquam causa, exigitur tamen tanquam terminus & effectus; ut, cum anima quæ est substantialis, exigit actiones, & operationes suas, tanquam terminum & effectum. Pendebitque etiam DEUS à minus necessario, sed pendentia impropria, id est, tanquam à termino; & licet deficiente possibilitate deficiat DEUS, non sequitur æque esse necessariam Creaturam, ac DEUM; quia deficere est malum, adeoque potest haberi ex singulis defectibus, sed esse necessarium est bonum, adeoque ex integra causa; quæ integra causa non competit possibilitati; quia possibilitas Creaturæ, non dicit necessitatem existentia sed dicit imbitam dependentiam à DEO, ejusque indigentiam.

QVÆSTIO II. De Quidditate Relationis.

Displicuit Aristoteli veterum definitio, quam relativis dabant, eratque talis: Relativa sunt, quæcunque & ipsa quæ sunt alia, esse dicuntur, & quomodo libet aliter ad alterum. Rejecit illam, quia convenit etiam relationibus Rationis, ut patet ex termino, Quomodolibet, & ex termino, Dicitur. Adfert propriam Aristoteles de qua sit.

Quid Definitivè Relatio?

DICENDUM EST. *Benè definitivè Relativa.* Relativa sunt quorum hoc ipsum est esse, ad aliud se habere. ubi ut vides relativa in concreto definiuntur. Relatio in abstracto definitur à Suar. Est accidens reale, cujus totum esse, est ad aliud se habere. Dicitur relatio accidens Reale, non quia est quid realiter distinctum à subiecto, sed quia est ratio extrinseccæ, nemine cogitante conveniens subiecto. Cæterum quia relationes transcendentes non sunt Accidentia, utpote secundò essentiales, hinc ut ratio communis definitiva Relationis tradatur, sic poterit formari cum Hurt. Relatio est formalitas, cujus totum esse, est ad aliud se habere.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis.

PROBATUR II. Convenit omni, soli, & semper, proceditque per primam in hoc genere.

PROBATUR III. Tota hæc definitio duo complectitur: quod Relationis Esse est ad aliud, & quod totum illius esse, sit ad aliud. Quoad primam partem probatur: quia si Relationis esse, non esset ad aliud se habere, & esset relatio, ut supponitur, & non esset Relatio; quia cum nihil referatur ad seipsum, non referretur ad aliud, ut dicis, & tamen relatio referre debet, cum sit ipsa referentia, seu ratio referendi. Secunda pars probatur, quia si non totum esse relationis esset ad aliud se habere, nonnisi pars aliqua referret se ad aliud, alia non referret hæc autem, hoc ipso, quia se non referret, non esset, ex probatis immediate, de linea Relationis.

OBJICITUR I. Relatio definiri in communi non potest. Ergo prædicta definitio est mala. Antecedens probatur: quia definiretur, per esse ad aliud; illud aliud vel esset relativum, vel absolutum, si relativum, ergo relativum referretur ad seipsum, cum referatur ad relativum, nihil autem verè & realiter referretur ad seipsum; si autem illud aliud est quid absolutum, ergo supremum genus prædicamenti Relationis non erit, unum, sed duo, unum Relativum & aliud absolutum, ad quod relativum illud in communi, referretur.

RESPONDETUR. Quod ly aliud significet absolutum; nec sequetur esse duo genera prædicamenti relationis, quia non est accipiendum ex una parte, relativum in communi, & ex altera illud aliud ad quod referretur, sed simul hæc debent accipi: quod autem illud aliud ad quod referretur relativum in communi, sit quid absolutum ratio est, quia infra dicitur, relationes terminari ad absolutum;